



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs

Escobar y Mendoza, Antonio de

Lvgdvni, 1659

Cap. I. Quidna[m] illa, & in quasnam personas cadat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066

82. *Donat quis beneficiarius infirmus alicui centum aureis, nec infra viginti dies moritur: num sit spolio addicendum? Respon-*
 Filiuc. *spondet Filiucius non præsumendum donatum esse mortis causa, ac proinde retineri posse.*

83. *Beneficiarius sub mortem donans affirmat se tantumdem ex patrimonio in pios usus expendisse, vel parcius viuendo sibi subtraxisse, quantum ex redditibus Ecclesiasticis tunc donat: ut ei credendum? Credendum planè ex probabili sententia. Ad-*
 Filiuc. *dit Filiucius probabilius esse non posse cognatos defuncti ex bonis beneficij tantum sibi sumere, quantum beneficiarius ex suo patrimonio in pia opera exposuit.*

84. *An fructus male percepti, ex omissione horarum, ex malo titulo beneficij, ex incurso censura, & ex Simonia, spolia sint? Minimè; quia sub dominio beneficiarij nunquam fuere.*

85. *An distributiones. Quantumuis magnæ sint, spoliū non facere asserit idem Filiucius; horarum & Officiorum præmium speciale esse quis dubitet.*
 Filiuc.



EXAMEN II.

De statu Ecclesiastico circa materiam de
 Simonie vitio?

CAPVT PRIMVM.

Quid Simonia, & in quasnam personas cadat.

§. I.
 I.
 Simonia
 malitia.



Simonia quid? Dicitur nomen, à Simone Mago, qui primus in nouo Testamento hoc legitur crimine infectus. Sic definitio: studiosa voluntas emendi vel vendendi pretio temporali aliquid spirituale, vel annexum spirituali. Porro Simon ille Simoniam commisit contra ius diuinum tantum, non Ecclesiasticum, quod nullum tunc erat. Iure autem diuino prohibitam dico naturali nimirum, eo quod ratio lumine fidei edocta naturaliter quodammodo dictat, dona supernaturalia, cuiusmodi sunt gratia, Sacramenta, diuina Officia, & his similia sanctè esse tractanda, nec in temporales contractus deducenda.

2. *De eius malitia quæ? Profecitò Simonie malitia Religi-*
 gioni

gioni aduersatur ex suo genere, vnde ex suo genere peccatum veniale est, & valde graue: quin probabiliter assero non dari in Simonia veniale peccatum ex materia leuitate, sed tantum ex consideratione, vel ignorantia venialem negligentiam admixtam habente. Et quidem suppositis conditionibus, quæ tam ex parte materia, quàm ex parte obiecti Simoniae reperiuntur in actione vendendi rem sacram, malitia rectè dicitur illi intrinseca: vnde dispensari in ea non potest, nisi mutata materia talis actionis, ideoque absolutè loquendo malitiam Simoniae à venditione talium rerum, de potentia ordinaria, & iuxta congruum prouidentia modum, esse inseparabilem. Non semper iniustitia malum cum Simonia coniunctum est; at semper adest malitia contra Religionem, irreuerentia nimirum, & indebita sacrarum rerum aestimationis.

3. *Quandonam autem admisceretur iniustitia?* Quando Simoniacus vendit actionem, ad quam ex officio tenetur: v. g. cum Parochus in Sacramentorum administratione, vel ratione solius spiritualitatis, temporale pretium accipit, vt si ratione consecrationis Calicis, vel Agni benedicti maius pretium acciperet, quàm materia argenti, vel cereæ elaboratae valeret.

4. *Recense personas, in quas vitium Simoniae cadere potest.* Profectò in primis Papa Simoniae peccatum contra ius diuinum committere potest: v. gr. si Ordines venderet pro pecunia, res sacras, doctrinam fidei, dignitatem ipsam Pontificiam, & iis similia.

5. *Potest ne Pontifex eam vitare?* Potest quidem multis modis: & in contractibus iure positio Simoniacis facile satis, siue quia lege illa non teneatur, siue quia secum dispensare potest, siue quia dare potest alteri beneficium, & recipere pecuniam veluti redempta pensione tota simul. Id certum assero, etiam si committeret Papa Simoniam, poenas non incursum.

6. *Quid de inferioribus?* Simoniaci esse possunt Prælati, & eorum ministri. Notarius non potest quidquam accipere, si pro officio suo stipendium sufficiens habeat; quod si accipiat, Simoniacus erit. Episcopus in Ordinibus conferendis, & in iudiciis caueat à Simonia.

7. *Aduocatus vendere potest patrociniū?* Potest quidem etiam in causa spirituali; quia ipsum patrociniū res spiritualis non est. Testis autem in causa spirituali si pro testimonio dicendo, aut aperienda veritate recipiat in pretium rem temporalem, Simoniacus erit.

8. An

§. 4.
In quas
nam
personas
cadit Si-
monia.

8. *An Episcopi in conferendis beneficiis labi in Simoniâ possunt?* Ita planè, recipiendo aliquid temporale pro institutione, collatione, resignatione, permutatione, vel alia provisione.

9. *Num ministri recipientes aliquid pro literis conscribendis Minimè; quia laborem temporalem vendunt.*

10. *Dantes autem familiaribus pecuniam, ut à Prælato gratiam per eos obtineant, erunt ne Simoniaci?* Ita quidem, et etiam ipsi mediatores, nisi tantùm facilem aditum datori tribuerent, ut ipse petat à Prælato gratiam.

11. *Exprime queisnam modis Clerici Simoniæ labem incurrant.* Incurrunt si Ordines recipiant per pecuniam, si beneficia emant, vel Officia Ecclesiastica, si ministrent spiritualia pro temporalibus tanquam pro pretio, & modis similibus.

12. *Quid de Religiosis?* Religiosi tam ut Clerici, quàm ut Religiosi Simoniaci possunt esse, v.g. si Religiosum recipiant pro pretio, vel conferant professionem pro pecunia, &c.

13. *De laicis denique quidnam?* Laici etiam infideles Simoniaci esse possunt, ut etiam Communitates, & Capitula: si actio, quæ fit simoniacè, à toto Capitulo, aut Communitate exerceatur.

CAPVT II.

Quotuplex Simonia, & quanam eius materia.

§. I.
*Simonia
triplex.*

14. *Simonia quotuplex est?* Triplex, Mentalis, Conventionalis, & Realis. *Mentalis* dupliciter accipitur: primo pro nudo proposito, seu desiderio committendi Simoniâ, & hæc nulla ratione cum externo actu coniungitur. Secundo accipitur pro illa actione quæ fit quidem mente Simoniacè, sed ex se & ex circumstantiis Simoniâ non profert, nec apparet exterius vlla Simoniæ labes. *Conventionalis* consistit in pacto, seu conventione expressa vel tacita dandi, vel recipiendi temporale pro spirituali. Hæc Simonia distinguitur à Mentali ob conventionem externam, quam non includit mentalis. *Realis* est illa, qua res temporalis traditur, vel accipitur pro spirituali. Hæc incompleta dicitur, dum ex vna tantùm parte res traditur: completa autem, dum ex vtraque parte. Huic adhæret Simonia confidentialis realis, dum videlicet Beneficium reipsa renunciatur, vel confertur cum pro-